



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et  
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

**Paullini, Christian Franz**

**Francofvrti ad Moenvm, 1698**

Breviarium Fuldense. Adspira cœptis Sancta Maria meis!

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44860**



## BREVIARIUM FULDENSE.

*Adspira cœptis Sancta Maria meis!*

I. B. Sturmio.

I. B. STURMIO.

**A**Nno Incarnationis Dominicæ DCCXLIV. S. Bonifacius monasterium Monachorum O. S. P. B. in *Fulda* incepit, in honorem S. Salvatoris, decem annis ante martyrium suum. Cum enim Sanctus iste Principem *Carolomannum* suppliciter obsecrasset, ut in Orientali Regno ejus Monasterium construere, inibi que vitam monasticam instituisse liceret, locum Princeps tradidit juxta ripam fluvii *Fulde*, ita ut ab illo loco undique, ab oriente scilicet & occidente, à septentrione & à meridie, marcha per tria millia passuum tendatur. Primus Archimandrita erat B. *Sturmio*, ab honestis & Nobilibus Parentibus in *Bojaria* natus, S. *Bonifacii* discipulus, qui adolescentulum tradidit *Wicperto*, Sacerdoti in *Fryslær*, sub quo in scientia sacræ paginæ & aliarum artium edoctus, pietati cum primis studuit, sine qua omnis doctrina nulla & vana est. Accepto Sacerdotii ordine, legit fortè istud Danielis: (a) *qui autem multos erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates.* Totus ergo concupivit alios erudire, & sub jugum Domini pertrahere. Ex consilio postea S. *Bonifacii*, tertio anno Sacerdotii sui, vitæ monasticæ sanctitate captus, secessit in *Buchaniam* cum duobus piis fratribus, & in loco *Herolvesvelto* arctius cum DEO se conjunxit, ibique, propter opportunitatem aëris & tranquillitatem loci, cultum divinum extendere & ampliare vovit. Veniens igitur ad S. *Bonifacium*, cogitata sua denudat. Sed ille non svasit ob varia pericula, & jussit locum magis opportunum inquirere. Qui tandem in *sagetum* ductus ad rivum *Gretzbach*, anno nono vitæ suæ eremiticæ, cum septem fratribus, Anno Domini DCCXLIV. domum fabricare cœpit Domino, quæ à rivo præterfluente nomen sumit, in hunc usque diem *Fulde* dicitur. Ut verò Sanctuarium suum perfectius institueret, missus est à S. *Bonifacio* annò Prælaturæ quartò in *Italiam*, ut in primariis & potentioribus claustris Ordinis nostri disciplinam notaret, eamque postea similiter cum pio zelo induceret. Cum veniret in montem *Cassinum*, ab omnibus pro admiratione habitus, ob vitæ sanctimoniam &

(a) c. XII. 3.



& doctrinam specialem. Facta igitur est *Fulda* ad similitudinem Monasterii *Cassinensis* quoad formam vivendi, & disciplinæ observantiam regularem. Cumque *S. Bonifacius* in vita sua optaverat, post mortem demum in *Fulda* quiescere, *B. Sturmio* Martyris corpus ex *Phrygia* in Monasterium intulit variis miraculis clarum. (b) Sed bonus Archimandrita in odium pervenit *Pipini* Regis, ut etiam, ex instinctu & invidia *Lulli* Archi-Episcopi, eum ex Monasterio ignominiosè depelleret. Venit in ejus locum *Marcus*, in hujus autem mox è Fratribus Fuldensibus *Prezoltus*. Sed hic injuriæ *Sturmioni* à Rege factæ bene memor, id effecit, ut exul ad pristinum reduceretur locum, & duplò magis postea honoratus est ab omnibus. (c) Post mortem enim *Pipini* *Carolus*, nomine & virtute Magnus, *B. Sturmionem* A. D. DCCLIV. ad Saxones misit, quibus verbum Domini magno zelo & animi constantia prædicavit. Hinc *Apostolus* eorum dicitur. (d) Et uti Sanctus Pater optaverat, multos ad justitiam erudire, ita à Domino ei factum est. Ultra quadringentos enim monachos sub se habuit. Moritur A. D. DCCLXXXIX. XVII. Kal. Januar. anno Prælaturæ suæ XXXV.

## II. BAUGOLPHUS.

II. Baugolphus,

Professus Fuldensis, pius, doctus & religiosus Pater. Extruxit in monte *S. Petri* novum Monasterium, Rex *Carolus* ei dedit *Eyschellam*. *Hamelburg* quoque *Rosdorf* & *Hünevelta* sibi acquisivit. AD. DCCCII. spontè se abdicat Prælaturâ, & successorem habuit *Ratgarium*, quem ut filium suum educaverat. Vixit adhuc post resignationem XIII. annis, & Monasterio consiliis & operâ adfuit. Moritur AD. DCCCXV. Prælaturæ XXII. Tota congregatio cantabat cursum *S. P. N. Benedicti*. (d) Jacer in monasterio *Baugolphesmonster*.

## III. RATGARIUS.

III. Ratgarius,

*B. Sturmionis* discipulus, natione Germanus, ex honorabili familia, sed infelix Pater. Electus erat concordi omnium beneplacito & consensu, docuerat suos fideliter, & præfuerat hætenus per multos annos. Satanæ autem zizaniam suam sparsit in animos Monachorum, ut toti abalienati ab eo insurgerent, & querelas suas ad *Ludovicum* Regem, quem *Pium* vocant, magno clamore deferrent, donec ab illo AD. DCCCXVII. dignitate & officio suo spoliaretur, & quidem hujus annò XV. Inter alias causas etiam hæc erat,

(Mmm)

quòd

(b) Fabricius in *Gloria Fuldæ* p. 73. ad *Ægilem* hoc refert, (c) legi meretur vita *B. Sturmion*, ab *Ægile* conscripta, aq.ue *Brovero* edita. (d) conf. *Brover*, L. III. Antiquit. Fuld. c. I, seqq. (d) vid. *Lamb. Schafnab*, ad b. a. & *Mar. Scor.* ad eund.



quòd studiis apprimè intentus Oeconomica parùm curaret, & nimis durus & asper Pater fuerit. Fateor, si lenitatem cum rigore bene potuisset temperare, res meliorem exitum habuisset. (e) Vixit postea in monasterio suo B. Virginis inter perpetuas speculationes & meditationes divinas, ibique mortuus est. (f)

IV. *Ægil.*IV. *ÆGIL.*

B. *Sturmionis* cognatus & popularis, Professus Fuldensis, Venerabilis Pater, religione & doctrinâ valde eximius, Regis & totius Conventûs suffragiis & consensu in Sedem *Rargarii* eòdem annò provecus, omnia fecit bene & cum gloria sui. AD. DCCCXVIII. basilicam S. *Bonifacii*, AD. DCCXCI. constructam, (g) reparare cepit. Anno sequente templum S. Salvatoris ab *Heistulpho*, Moguntino Archi-Episcopo, Kal. Novembr. dedicatur cum duabus cryptis. *Ædificavit* etiam capellam S. *Michaelis* Archangeli. Moritur A. D. DCCCXXII. Prælaturæ suæ V.

V. *Rabanus.*

## V. RABANUS.

In omni doctrinæ & scientiæ genere ad prodigium doctus, & magnus pauperum benefactor. (h) Primus ad Germanos invexit Græcicam literaturam. A. D. DCCCXXI. cum Abbate *Brunone* Ecclesiæ Herofveltenfis fundamenta posuit. (i) Cùm Monasterium *Hirsaugiense* iterum instauratum esset, ille XV. Monachos cum Abbate *Lyndeberto* ex Conventu Fuldensî eò misit. A. D. DCCCXXXVIII. Bibliothecam monasticam in tota Germania claram magnâ curâ & labore instituit, præterea processionem in die Palmarum ad montem B. *Virginis*, & à *Gregorio* IV. multa pro Monasterio accepit privilegia. Montem S. *Petri* prope Monasterium, quem *Bangolphus* ceperat struere, ipse continuavit, & S. *Johannis* maximè ornavit. Incertum est, an ex Monasterio pulsus sit à Rege, anno XX. Prælaturæ, seu an spontè id dereliquerit propter morosos monachos, qui torvis eum oculis adspiciebant, quòd precibus & scripturis semper intentus esset, œconomia verò parùm. Certum autem hoc, quòd revocatus sit ab iis, sed noluit redire. Tandem tamen reversus est, & latuit in monte S. *Petri* ad orientalem situm Monasterii, orando & scribendo omnes horas insumens, multorum operum scriptor. Sicut verò flamma sub cinere, quàm primùm aura liberior fâvet, surgit & tendit in altum: ita etiam paulò post divinâ Providentiâ AD. DCCCXLVII. ad altiora honorum culmina V. Kal. Julii perductus est

*Rabanus,*

(e) conf. Brover. L. I. A. F. c. 2. p. 59. (f) num verò anno 817. ut ex Bucelin. P. II. G. S. p. 34. probare vult Fabric. Glor. Fuld. p. 71. Desit, ait Bucel., anno dicto, sc. Abbas esse, non autem statim mortuus est eod. annò. (g) Lamb. ad h. a. (h) Sigeb. Gemblacens. chronograph. ad ann. 851. (i) Lamb. ad h. a.



*Rabanus*, ad Archi-Episcopatum scilicet Maguntiacum, *Otgarii* successor, cum quo antea AD. DCCCXXXVIII. Monasterium *Hirsaugiense* consecraverat. AD. DCCCXLIX. V. Kal. Nov. dedicavit Ecclesiam *S. Wiperti* in *Herosvelt* ut Archi-Episcopus. Moritur AD. DCCCLVI. & jacet apud *S. Albanum*.

## VI. HATTO I.

VI. *Hatto I.*

Quem cognomine vocant *Gloriosum* & *Bonosum*; sed non *Waldo* dictus est. (k) Successit circa AD. DCCCL. Erat benignus & valde sollicitus Pater. Acquirat Monasterio *Eydervelt* & *Wylmerhusen*. Eodem annò magna fames grassabatur per *Buchoniam* & vicinas regiones. Cùm pauper aliqua de *Fulda* femina præ intolerantia famis filiolam suam mastare & vorare voluerit, ecce, divina sic volente Providentiã, subito *lupus* accurrit, qui jam ceperat *cervam* juniorem, eamque adhuc rostro tenebat. Hanc bestia famelicã infantivorã ante pedes posuit, & sic à cãde infantis retraxit. Exemplum speciale & memorabile. Exemplo Antecessorum *Otgarii* & *Rabani* à *Leone IV.* Papa privilegia monastica acquirat. Cùmque pauci census & decimæ ad portam Monasterii Fuldenfis, pro reficiendis seu alendis hospitibus & pauperibus, dati essent, *Hatto Papam Leonem* adiit & Imperatorem *Lotharium*, & ab utroque multa prædia ad sustentaculum hospitem & pauperum, ad portam Monasterii deputata, reportavit. Etiam hæreticos *Arianos*, *Donatistas*, *Novatianos*, & ejusmodi partus satanicos, zelosè confutavit. Mors ejus incerta est. Sed quid ista me turbabit? seu enim A. D. DCCCLVI. vel DCCCLXII. seu DCCCLXV. mortuum credas, mihi idè nec ferres, nec metes.

## VII. THODO.

VII. *Thodo*,

Professus Fuldenfis: quò añò præcisè successerit, non adèò clarè pater, ob dubium *Hattonis* annum emortualem. Si tamen ex mandato *Ludovici* Regis Germanorum ad Nepotem ejus *Ludovicum* in Italia, & per hanc occasionem ad *Nicolaam* Papam profectus est AD. DCCCLIX., verosimile fit, circa AD. DCCCLVI. vel sequentem mortuum esse. Ad dicto Papa confirmationem omnium privilegiorum suorum simul impetravit, & gratum se fecit apud omnes. Erga pauperes semper benignus & liberalis fuit. SS. Martyres *Antonium* & *Aonium* Monasterio suo intulit, & pro reservaculo eorũ porticus inferiores fieri fecit. In diffidiis *Ludovici* & *Caroli* Fratrum, qui propter regnum *Lotharii* acerrimè inter se præliabantur, depositus est. *Thodo*, fortè  
(Mmm) 2 quia

(k) Erronea igitur, quæ *Lambert.* ad ann. 861. de *Waldone*, ut Abbate Fuldenfi, refert, ceu rectè judicat *Broyer l. c. l. IV. p. 278.*



quia *Carolo* magis adhereret, quam *Ludovico*. Moritur AD. DCCCLXIX. Prælatura XIII.

## VIII. SIGHARTUS.

VIII. Sig-  
hartus.

Professus Fuldensis, Vir devotus: erat cum *Ludovico*, Germaniæ Rege, in expeditione Slavica AD. DCCCLXXII. Multa fecit laudabilia. Anniversariam mortuorum memoriam instituendo, sanctorum Evangeliorum librum gemmao & argenteo involucro includit, pontem fecit super fluvium *Fulde*, certo tempore de Monachorum suorum studiis, pietate, habitu, concordia & assiduitate, more Majorum, Pontifici Summo justam & exactam rationem reddidit: Fratribus acquisivit *Bergen & Wasserheim*. AD. DCCCLXXIV. paulò ante Pascha *Ludovicus*, Germaniæ Rex, devotionis causâ *Fuldam* venit, ubi non solum vetera Monasterii privilegia confirmavit & innovavit, sed præterea multa bona eidem attribuit. Cùm in festo Paschæ canentibus orationes & zelum Fratrum attentius notaret, dixisse scribitur super cœna ad Proceres suos: *utinam semper mihi liceret in hoc atrio cœli manere & in eo mori. Quid enim jucundius & fructuosius optari potest?* Cum *Luitperto* Maguntino disconvenientiæ ei erant ob decimas in Doringia, quas valde appetit Maguntinus. Ex cupiditate sanctioris otii sponte renunciavit Abbatia AD. DCCCLXXIV. Prælatura V. & vixit in Monasterio S. *Johannis* Deo & sibi. Paulò post autem moritur. Jacet in Ecclesia Majori.

## IX. HUGO.

IX. Hugo.

Apud *Arnolphum* Regem ejusque Filium *Ludovicum* in magna auctoritate erat, ideò facile potuit privilegia nova simulq; veterum confirmationem expetere. Inter rariora sua habet *Fulda* Sanctorum Evangeliorum librum, quem S. *Bonifacius*, Apostolus Germaniæ & primus Maguntinus Archiepiscopus, propriâ manu descripsit, quem Idem *Arnolphus* Rex Monasterio dedit. Multa passus est *Hugo* à furore ethnicorum & Hungarorum. Sed ille Deo & Sanctis suis Patronis confidens, impetum & ferociam eorum heroicè sustinuit, Protector Monasterii sui. S. *Bonifacii* tumbam & altare B. Virginis auro, argento & gemmis pretiosis largiter ornavit. Reliquias de variis Martyribus intulit, iisque altaria struxit: Fratribus quolibet die Dominica religiosas circumitiones cum vexillo S. crucis concessit, & multa alia laudabilia & imitabilia fecit ac perfecit. AD. DCCCCVIII. Hungari totam Germaniam miserè depopulantur, nec in ea *Buchoniam* prætercurrerint. AD. DCCCC., confirmante *Ludovico*, possessiones in *Wetteravia*, in loco *Waltz*, accepit. Et AD. DCCCCXII, à *Conrado* Rege privilegium super decimis & aliis rebus. Videtur ergo mortuus circa AD. DCCCCXIII.

Præ-



Prælatuæ XXXIX. si sedere cœpit AD. DCCCLXXIV. Si verò tribus annis post, XXXVI.

## X. HELMERIDUS.

X. *Helmfridus.*

Religiosus Pater & bonus Oeconomus. Murum enim amplioem & fortioem Monasterio dedit, Ecclesiæ suæ donavit auream crucem gemmis undique splendens. Sed Hungari AD. DCCCCXV. omnia spoliârunt, conculcârunt & concremârunt, ut præter ah! & vâ! nihil maneret reliquum. Moritur AD. DCCCCXVI. Prælatuæ III.

## XI. HAICHO.

XI. *Haicho.*

A Papa *Johanne X.* AD. DCCCXXXI. obtinet confirmationem privilegiorum, secundum quæ nulli Episcopolicet sacra peragere in Monasterio, nisi volente Abbate. Ab *Hairico I. Rege* AD. DCCCXXXIII. *Berdolphes* cum agris & pertinentiis suis potitur. Scribunt, sub eo *Conradum I.* AD. DCCCXXXIX. (l) Fuldæ sepultum esse. Alii malunt DCCCXXXIX. (m) Si hic *Conradus* AD. DCCCXXXI. imperare cœpit, & septimo Regni anno desit, annum sanè DCCCXXXIX. habebis. *Haicho* autem moritur AD. DCCCXXXIII. Prælatuæ VII.

## XII. HILPERTUS.

XII. *Hilpertus.*

Professus Fuldenfis, natione Francus, pius Pater, doctus, & consilio multo valens, facundus etiam & spiritu prophetico ornatus. Tertio, seu quarto Prælatuæ anno promotus ad S. Sedem Maguntinam, ubi AD. DCCCXXXVI. moritur. Alii duos addunt. (n)

## XIII. HADEMARUS.

XIII. *Hademarus.*

Professus Fuldenfis, natione Francus, pius, sapiens, & multæ auctoritatis & activitatis Abbas. Monasterio suo diligenter prospexit. Primo statim Prælatuæ suæ anno à fulgure & fulmine basilica Fuldenfis cum Monasterio tota combusta est. Ille verò rursus totam & ex integro restauravit, longèque pulciorē fecit, quàm antea fuerat, non tantum basilicam, sed quoque monasterium, & omnia ad id pertinentia. Consecrata illa est anno demum DCCCXLV. III. Kal. Novembr. *Otone M.* præsentē, per *Marinum*, Apostolicæ Sedis Legatum. Huic *Otoni* Regi, *Henric. F.* AD. DCCCXXXVI. statum Monasterii sui prolixius significavit, & ab eo privilegia & omnia pro voto suo in Magdeburg retulit. Imò maxima munera & ornamenta pro institutione & reparatione templi superaddidit Rex AD. DCCCXXXVI. (M m m) 3 Aliud

(l) calculum hunc probant *Brovver. L. IV. p. 283.* & *Fabric. l. c. p. 86.* (m) Vid. *Sigfrid. Presbyt. epir. L. I. p. 688.* *Lambert. ad h. 2.* (n) *Wittich. Corb. L. II. Annual. c. p. sic:* erat Vir miræ sanctitatis, & præter naturalem animi sapientiam, literarum studiis factis clarus, qui inter cetera gratiarum dona spiritum Prophetiæ accepisse prædicatur.



Aliud incendium eandem perdidit basilicam. Confunduntur hæc duo incendia à multis. Ego puto Ad. DCCCCXXVII. basilicam conflagrâsse, quam *Hademarus* pulcrè restituit, & Ad. DCCCCXXVI. aliud incendium ortum est. Nullum verò sine notabili damao fuerit. *Fridericum*, Archi-Episcopum Maguntinum, captum aliquamdiu detinuit, & paulò duriùs habuit eum. (n) Moritur Ad. DCCCLVI. Prælatuæ XXIX.

## XIV. HATTO II.

XIV. Hat-  
to II.

*Hademari* ex sorore nepos, magnæ auctoritatis Abbas apud Papam & Imperatorem, Professus Fuldensis: adfuit coronationi Regiæ *Ottoni* primi Romæ, à quo postea & *Joanne* XII. Papa magna accepit privilegia. Anno Prælatuæ XII. ab *Ottone* II. Rege fit Archi-Episcopus Maguntinus. *Fulda* laudabiliter præfuit, erga omnes justus, placidus, & acer, prout res & tempora postulabant. Quòd verò à *muribus* voratus sit, quia frumenta denegaverat pauperibus, impudens mendacium est. Certè *plumbæam* cor & *ferream* frontem habuerit ille, hanc fabulam qui credit, vel sine rubore narrat. Omnes enim circumstantiæ, & omnes *Hattonis* actiones repugnant. (o) Moritur Maguntia placidè primo electionis suæ anno, erat Ad. DCCCLXIX.

## XV. WERNERUS.

XV. Wern-  
erus.

Professus Fuldensis, S. *Uthalrici*, Episcopi Augustensis, cognatus, prudens, & valde circumspectus, magnis ornamentis providit Ecclesiæ suæ, supposuitque porticus. Construxit capellam, seu potius Convantum in *Borsla*, & liberaliter dotavit. Moritur in bello contra Saracenos, quod *Otto* II. Imperator gessit in Calabria. Ad. DCCCLXXXI. Prælatuæ XIV.

## XVI. ERCKENBALDUS.

XVI. Er-  
ckenbaldus.

Natione Saxo, S. *Bervardi*, Episcopi Hildesemensis, cognatus, fortè ex familia *Sommerscheburgica* Ad. MIII. ex mandato *Henrici* S. unà cum *Henrico*, Episcopo in *Wirzeburg*, capellum in *Svvinfurt* incendere & devastare debebat. (p) Ad. MXI. fit Archi-Episcopus Maguntinus, *Willigisi* successor, anno Prælatuæ XXVI. Mansit tamen simul Tutor & Provisor Ecclesiæ Fuldensis, cui optimè præfuit. Moritur Ad. MXXI.

## XVII. BRANTHO.

XVII.  
Brantho.

Anno Prælatuæ septimo depositus est, & factus postea Episcopus Halberstadiensis. (q) Ad. MXXI. ubi construxit Monasterium S. *Johannis*. Ad. MXXVI. in dira fame abiit in Græciam & Palæstinam, sed multa

(n) vid. Wittich. Corb. L. II. Annal. c. f. (o) vid. Nic. Serar. L. IV. rer. Mogust. c. 4. & P. I. Zeiff. Zuff them. 129. (p) vid. chron. Ditmar. L. V. p. 110. & Spangenberg. Chr. Henseberg. L. I. c. 33. p. 71. (q) Vid. Sagittar. hist. Halberstad. s. 26.



multa passus est pericula. Post reditum *Boslebiae*, in honorem *S. Bonifacii*, novum Canoniorum Collegium construxit, & de suis decimis dotavit. Moritur peste AD. M xxxvi. vel sequente.

## XVIII. POPO.

XVIII. Po-

Natione *Buchonius*, Professus *Laurissensis* Monasterii, salutaris Reformato-  
mator operâ & mandato *Henrici* Regis, cujus beneficio Abbas factus fuerat. Novos enim & bonos Monachos è suo Monasterio adduxit. Ex liberalitate *Kunegundis*, seu potius propter interventum ejus, multa bona dantur Ecclesiae Fuldensi à Rege *Henrico*. Turpis confusio scribentium & narrantium. Alii *Poponis* successorem faciunt *Woltmarum*, alii *Barthonem*, alii post *Brantha* ponunt *Poponem*, huic substituunt *Woltmarum*, & huic *Barthonem*, huic verò *Richartum*. Nos *Poponis* substitui-  
mus

## XIX. RICHART.

XIX. Ri-  
chart.

Qui Venerabilis & laudabilis Pater non satis laudari potest. Dicitur fuisse ex familia *Grappelt*, uti *Popo*. (r) Ejus tempore *Benedictus* Papa & Imperator *Henricus* fuere Fuldæ, ei que benefecere multum, partim privilegia, partim bona dando & innovando. (s) Ecclesiam *S. Andreae* in novo monte construxit, uti *Amersbachii*, seu *Amorbachii* in Francia Monasterium. Fuit in Synodo *Seligenstaden* A. D. M xxxiii. Sub eo Scoti Monachi *Fuldense* cœnobium intrant, idque in omnibus bene reformatum, juxta regulam *S. P. N. Bened.* Mandavit Monachis suis, ut facta Clarorum Virorum fideliter describerent, & Manuscripta bibliothecæ inferrent. Moritur AD. M xxxix.

## XX. SIGHARTUS.

XX. Sig-  
hart.

Et hic bene præfuit. Scribunt factum fuisse Episcopum *Hildesemensem*, alii autem dubitant, & addunt, vocatum quidem fuisse, sed non admissum. Moritur AD. M xliiii. Prælatuæ IV. in bello Bohemico, in quo Vexillifer Regius erat.

## XXI. ROHINGUS.

XXI. Ro-  
hingus.

Varia, multa & pretiosa ornamenta Ecclesiae comparavit, imprimis magnam, & multi valoris tabulam, piis imaginibus plenam, margaritis & gemmis undique coruscantem, quam successor ejus demum perfecit. Moritur in itinere Romano, imò in urbe Roma AD. M xlvii. in comitatu Regis *Henrici* II. ubi à *Clemente* II. Abbas consecratus ipso natali Dominico.

## XXII. EC-

(r) de *Popone* certum est, de *Richarto* autem dubio. (s) *Fabricius* l. c. p. 95. hoc ad *Ekkenbaldum* refert, sed vid. *Brovver* L. IV. A. F. p. 90.



XXII. Ec-  
bertus.

## XXII. ECBERTUS.

Multa fieri fecit domicilia, cunprimis dormitorium. Cum *Athalberone*, Episcopo in *Würceburg*, controversiam habuit propter jus Dioccesanum, sed exceptionem veterem obtinuit. Sub eo Monasterium ex Regia potestate ad Apostolicam Sedem transit. In colligendis Veterum historiis laboriosus fuit, amator antiquitatum. Moritur A. D. MLVIII. Prælaturæ X.

XXIII.  
Sigfridus.

## XXIII. SIGFRIDUS.

Professus Fuldensis, doctus & pius, Comes de *Epstein*. Fit secundo Prælaturæ anno Archi-Episcopus Maguntinus. Ivit postea ad terram sanctam cum *Trajectensi*, *Papenbergensi*, & *Ratisponensi* Episcopo &c. Difficile iter & multis periculis cinctum. (t) Reversus moritur in Doringia AD. MLIX. Jacet in Monasterio *Hafungen* O. S. P. nostri.

XXIV.  
Wideradus.

## XXIV. WIDERADUS.

Etiam Professus Fuldensis & Comes de *Epstein*. Hic est ille, qui *Goslaræ* A. D. MLXIII., tertio Prælaturæ suæ, (u) cum Episcopo *Hillesemensi* *Hezelone* pugnam cruentam habuit, præsentem *Henrico* Rege. (w) A pulvere suffocatur, cum curru veheretur, AD. MLXXV. Prælaturæ XV.

XXV.  
Ruthartus.

## XXV. RUTHARTUS.

Monachus *Herosveltensis* ab ipso *Henrico IV.* in curia sua electus, præter omnium opinionem. Utiliter præfuit & magna cum gloria Monasteria *B. Virginis* & *S. Michaëlis* sub regula *S. Benedicti* instauravit & dedicavit: Episcopatum in *Halberstad* magno zelo repudiavit. Moritur AD. MXCVI. Prælaturæ XXI.

XXVI.  
Godfridus.

## XXVI. GODFRIDUS.

Hic tristia vidit tempora. *Fulda* enim exusta AD. MCIII. & invidia rabiente apud Regem *Henricum* in curia, quam habuit in *Franckenward*, quasi negligenter curaret sua, anno MCIX. depositus est, Prælaturæ suæ XIII. Moritur *Coloniæ*.

XXVII.  
Wolffhel-  
mus.

## XXVII. WOLFHELMUS.

Professus Fuldensis, *Henrici V.* gratiâ successit AD. MCIX. capellam *S. Alexandri* construxit versus Septentrionem. In bello contra *Ludovicum*, Landgravium *Doringiæ*, cum Abbate *Herosveltensi* parùm fortunæ sensit. Captus enim à Landgravio in obfessione *Wartpurgi*, in castro *Meysenburg* per tres

(t) Vid. Lambert. p. m. 172. seqq. (u) vid. Id. fulsissime ad h. a. (w) Vid. chron. Hildes. Reutel. p. 85.



tres annos inclusus est: *Hafelsteinium* etiam castrum, in sua Abbatia situm, obsedit, sed non sine damno. Deponitur AD. MCXIV. Prælaturæ V., quòd bona monastica nimis liberaliter consumeret. Moritur eòdem annò. Jacet in sacello S. *Alexandri*.

## XXVIII. ERLOLFUS.

XXVIII.

Pius, virtuosus, doctus & eloquens, Abbas *Murbaccensis*, Maguntia ab *Erlolfus*, *Henrico* præponitur cum murmuratione Fratrum, quia contra jura Monasterii erat. Ideo ab Imperatore missus Romam cum *Brunone*, Spirensi Episcopo, in magnis Imperii negotiis ad *Calixtum II.* Papam. Svasor enim fuerat, quomodo schisma aboleri possit, & rediit cum gloria. Monasterium magna damna passum in multis; latrones dilacerarunt territorium Monasterii, basilica versùs Orientem decidit AD. MCXX. & tanta paupertas ubique, ut victus & amictus deficeret, & præter *Miserere* nil restaret. *Mylseburg* & *Hafelstein* munivisse dicitur pro defensione Ecclesiæ suæ. Tandem cum omnia desperata viderentur, & sursum deorsumque volverentur, abiit *Wormaciam* anno Prælaturæ VIII. Moritur ibi AD. MCXXII.

## XXIX. UTHALRICUS.

XXIX.

Natione & Professione Fuldensis Romæ consecratur à *Calixto II.* Bonus Pater, insuper liberalis, modestus, justus & bonæ conversationis, qui Ecclesiæ utiliter præfuit, eamque valde instauravit. Sed deponitur anno Prælaturæ quinto, per Papæ *Honorii* Legatum, abiens tamen, cum magno suorum dolore, quia contra *Lotharium* Cæsarem II. cum *Conrado*, Duce Franconia, fecerat. Postea vixit in *Würceburg*, ubi etiam moritur AD. MCXXXIV.

## XXX. HENRICUS I.

XXX.

E familia de *Kemnat*, Professus & Decanus Fuldensis, Præpositus nuper Collegii in *Brustloa*, in præsentia *Lotharii* Imperatoris electus. Propter inopiam, quam fecerant sumtus varii, & ii sæpe inutiles, & quia curiam Imperialem sequi debebat, resignat AD. MCXXXIII. in manus *Lotharii* Fuldæ reversi, & qui tunc in monte S. *Andree* erat, anno Prælaturæ VII., Vixit postea ut privatus.

## XXXI. BERTHOLDUS I.

XXXI.

Ex familia de *Görze*, laudabilis Abbas. Ivit cum *Lothario* Rege Romanam, ubi & ipse cum *Innocentio II.* consecratus est, reportans magna privilegia, potestatem sc. gestandi mitram, annulum, baculum &c. Et proclamatus est à Papa *Primas* omnium Abbatum per Germaniam & Galliam. Imperator dedit Regalia. Moritur AD. MCXXXV. Prælaturæ II.

(Nnn)

XXXII.



## XXXII. CONRADUS I.

XXXII.  
*Conrad. I.*

Fuerat Ecclesiæ majoris Præpositus, ut *Bertholdus*, Professus Fuldensis, devotus, sincerus, castus & liberalis. Svasu *S. Bernarti* eligitur, perpetuus socius itinerum *Lotharii* Imperatoris per *Galliam, Italiam, Germaniam, Campaniam & Apuliam*. AD. MCXXXVIII. montem *S. Petri* novis beneficiis auxit, & in ejusdem montis monasterio jacet mortuus AD. MCXL. Prælatu-  
ræ V.

XXXIII.  
*Altholfus.*

## XXXIII. ALHOLFUS.

Seductus à Fratribus suis Germanis, durè nimis & non discretè tractavit suos, sed in sui interitum. AD. MCXLV. *Fulda* denuò combusta est, & fa-  
mes secuta valida. AD. MCXLVIII. ex mandato Papæ *Eugenii*, Prælatu-  
ræ VIII., depositus est.

XXXIV.  
*Rutger. I.*

## XXXIV. RUTGERUS I.

Considerans, quam grave & onerosum officium Prælati cura esset, ma-  
nibus pedibusque id averſatus est, coactus tamen à Cæsare sic oportuit susci-  
pere. In concilio *Rhemensi* à Papa *Eugenio* postea dimissionem Prælatu-  
ræ primò annò obtinuit, & in monte *B. Virginis* ut privatus vixit, DEO &  
saluti suæ incumbens.

XXXV.  
*Henricus II.*

## XXXV. HENRICUS II.

Abbas *Herosveltensis*. Quia fractas ollas non poterat reparare, aut  
distracta, vendita, donata, & abalienata bona recuperare, & paupertatem  
Fratrum ex voto sublevare, alius in ejus locum electus est ex Monacho-  
rum monte *Papenberg* AD. MCLX, Prælatu-  
ræ II.

XXXVI.  
*Marcwart-  
us I.*

## XXXVI. MARCWARTUS I.

Erat Monachus *S. Michaelis* in *Papenberg*; multa fecit ex usu. (x)  
Capellam *B. Virginis* versùs orientem instauravit, columnas, quæ portant  
turrim chori in basilica exstruxit, & turres campanarum, castrum *Hasel-  
stein* cepit armatus, oppidum *Fulde* mœnibus cinxit, ei que jura civitatis  
procuravit, fontem prope id fieri fecit, eisternam in hortum *Xenodo-  
chii* magnam posuit, & quæ sunt alia. Vixit ferè per annum in curia  
*Friderici* Imperatoris, fessus tandem & enervatus resignat anno Præla-  
turæ XV. Reliquum tempus consumsit in Præpositura *novi montis*, ubi  
moritur AD. MCLXIV. Jacet *Fuldæ*.

XXXVII.  
*Hermann-  
nus I.*

## XXXVII. HERMANNUS I.

Professus *Herosveltensis*. In schismate *Friderico* Imperatori tenaciter  
adhæsit contra *Alexandrum* Papam, in curia in *Würceburg* AD. MCLXV.

(x) Vid. Fabric. l. c. p. 124.



partes Paschalis arripuit, & per Italiam Imp. concomitatus est, plus illius, quam suis rebus intentus. Pulso *Alexandro* AD. MCLXVII. *Fridericus* occupat Romam. *Hermannus* verò noster à *Paschali* confirmatur cum magnis privilegiis, & facultatè Ordines minores dandi. (y) Phtisi conluntus anno Domini MCLXVIII. Prælaturæ III. moritur.

## XXXVIII. BURCHARTUS.

XXXVIII.

Et hic Professus erat *Herofvltensis*, durus Pater, & miser, & valde infelix. Fratribus suis victum & amictum denegabat, *Hattenhusen*, *Cruzberg*, & *Hildervarteshusen* *Ludovico*, Landgravio Doringiæ, vendidit, & religionem pessundedit. Schismaticus tandem dolorolo morbo cruciatus, eodem annò Prælaturæ VIII. perit. Hoc tamen laudabile, quòd capellam *S. Stephani* construxerit. Bonam famam nactus est, teste epigraphæ. Moritur in *Wedderau*, Prælaturæ suæ VIII. AD. MCLXXXVI.

Burchartus.

## XXXIX. RUTGERUS II.

XXXIX.

Erat Diaconus *Fuldensis*, modestæ vitæ & virtuosæ pietatis Pater. Licèt enim vix unum sederit annum, omnia tamen bene fecit, & ex usu Ecclesiæ. Xenodochium *Fuldæ* construxit, & liberaliter dotavit: imò adhuc unum condidit: campanas fieri fecit: anniversaria sacra multis censibus & decimis instituit: *B. Virginis* Monasterium, quoad disciplinam, reformavit, & quoad ruinosa ædificia pulcrè instauravit: bibliothecam valde auxit, & omnibus bene fecit. Comparaverat *B. Rabanus* primò bibliothecam Monasterii, & quidem tam feliciter, ut numerus librorum vix potuerit numerari: maximus certè in Germania thesaurus. Scribi aut describi iussit hic varia volumina pro auctario bibliothecæ. Quod si omnes observassent Archimandritæ ante & post eum, vix in toto orbe quid præclarior visum esset. Moritur asthma & tabe AD. MCLXXXVI. in die *S. Bonifacii*, Prælaturæ I., licèt alii putent, eum resignasse.

Rutger. II.

## XL. CONRADUS II.

XL. Conrad. II.

Diaconus & Præpositus in Monasterio *S. Sola*, seu *Solhoven*, è familia *Malkosiana*, sequente anno electus unanimiter. Ab *Alexandro* Papa ad Concilium *Lateranense* Romam vocatur AD. MCLXXIX. ubi Presbyter ab Episcopo *Ostiensis*, & Abbas consecratur ab ipso Summo Pontifice Dominica *Judica*. In Italia etiam Regalia accepit ab Imperatore, cui magnam crucem de auro promiserat, sed, nolente Conventu, non potuit

(Nnn) 2

(y) Fabricius l. c. p. 45. & p. 126. minores Episcopatus habet, circa *Broyer*, L. I. A. F. c. 15. sed illic minora officia sacra habet, non Episcopatus.



potuit præstare. Magna discordia in Monasterio, quod tamen *fidelis & specialis* Ecclesiæ Romanæ *filia* semper vocabatur. Idèd etiam magna querelæ ad *Henricum* Regem. (z) Moritur AD. MCXCII. Prælaturæ XV.

XLII. Hen-  
ric. III.

### XLII. HENRICUS III.

Dicunt, è familia de *Gronberg* fuisse, Præpositum antea in monte S. Jo-  
hannis, & Professum *Cambergensis* Monasterii in Francia nostra, Aulicorum fa-  
vore, in vitis autè Fratribus, immissus est, volente ita *Henrico* Rege AD. MCXCII.  
Nec bene, nec feliciter præfuit, Monachis & civibus in visus & mole-  
stus: bona enim Ecclesiæ abalienavit, oppignoravit & vendidit, cum bel-  
la gereret cum vicinis suis, *Hermann* Landgravio, & *Godfrido* Comite de  
*Zigenhayn*. Et quantos sumtus & debita fecit in itinere suo sacro ad  
*S. Jacobum*. Interim suis necessaria decurtabat, ut cum penuria parceret,  
& corraderet, quod alibi prodigalitas consumeret. Igitur Fratres  
malum Administratorem rerum suarum deposuerunt. Ille ultionis cupi-  
dus diem destinavit, quò crediderat, se magna patraturum contra suos.  
Sed illà ipsà die moritur AD. MCCXVI. Prælaturæ XXIV. AD. MCCXIX.  
*Philippus*, Dux Sueviæ, *Ottocarus*, Bojemiarum Rex, & *Hermannus*, Land-  
gravius Doringiæ, interlocutionem habebant *Fulda* & consultationes  
de impetrando Imperio adversus *Ottonem* Saxonem. AD. MCC. ma-  
gnum incendium fuit in *Fulda*, quod maximam partem oppidi per-  
didit cum summo damno. Etenim XXII. homines à solo fumo suf-  
focati sunt. AD. MCCXV. denuò ignis totum ferè oppidum con-  
sumsit.

XLII. Hart-  
mannus I.

### XLII. HARTMANNUS I.

Professus Fuldenfis & Præpositus *S. Petri* eodem anno, quo ele-  
ctus erat, moritur ante confirmationem, aliàs Fratres de eodem bonam  
spem conceperant. Sed spes & res quàm longè differunt.

XLIII. Cu-  
no.

### XLIII. CUNO.

Speciali iussu *Friderici* II. ex Monasterio *Eleevacensi* venit, Præpo-  
situs antea ibidem. Non ineptus erat, aut insipiens, vel negligens,  
aut tamen Fratres non existimabant eum, sed omnem obedientiam detre-  
ctabant, quòd non accepisset confirmationem suam. Itaque cum Im-  
peratore

(z) cetera pete ex Brovver. L. IV. p. 301. seq.



peratore abijt in Apuliam, sed in media via moritur AD. MCCXXI. Prælatu-  
ræ V.

## XLIV. CONRADUS III.

XLIV. Con-  
radus III.

E familia, quâ *Conradus II.*, bellum habuit cum Episcopo in *Würceburg* propter villas & prædia, seu *Tamersvelt*, ubi pascua bona & magna uber-  
tas erat. Ideò *Hamelburgum* fossis & muris circumdedit. Quod cum  
*Würceburgensis* impedire conaretur, copix ejus cæsa & pullæ sunt.  
Ipsam Episcopi Metropolim obsidere nitebatur *Conradus*. Sed *Henricus*,  
Comes de *Henneberg*, suavibus verbis & multis precibus eum à propo-  
sito suo revocavit. (a) Anno sequente denuò insurgit Episcopus contra  
Archimandritam, sed iterum pulsus & cæsus est. (b) Pace tandem  
factâ, & hoc Episcopo injunctum fuit, ut Abbati jus *Archi-Diaconatus* Ful-  
denfis, & jus *Synodum* convocandi esset. Tandem ab *Innocentio IV.*  
Papa dimissionem petiit, & quoque impetravit AD. MCCXVI. Præ-  
laturæ xxv. hoc tamen cum onere, ut *Sigfridum* Maguntinum pro  
Successore & Administratore assumerent Fratres ad dies vitæ *Con-  
radi*. Quod nimis durum videbatur Fratribus. Papa autem sacro ful-  
mine affirmativam eorum expressit, magno cum Monasterii damno.  
Ex templo crucem argenteam, (c) margaritis & gemmis ornatam, cu-  
jus valor ad centum octoginta marcarum auri erat, sumsit, & nunquam  
reddidit. Post triennium hic turbator moritur. AD. MCCXXXVII.  
Judæi ex mola prope *Fuldam*, die *Zygelmöllen* vocata, aliquot pueros abs-  
tulere & necavere. Multi autem eorum ideò iterum cæsi sunt. AD.  
MCCXXXVIII. *Franciscani* primùm venerunt *Fuldam*, sed in initio for-  
tunæ & res eorum tenues erant. Creverunt autem postea, uti quercus ex  
virgula.

## XLV. HENRICUS IV.

XLV. Hen-  
ricus IV.

E familia *Ertellensi*, & ex *Buthonia*, professus *Fuldensis*, antea *De-  
canus*. Prædones passim profligavit, & castra eorum destruxit, & *Hamel-  
burgum* fortius fecit, uti *Brückenauiam*, *Fachiam*, *Neovillam*, *Stolze-  
berg* & *Machezellam*: quæ loca muris, fossis & vallis circumdedit. AD.  
MCCIII. *Bartoldum*, Comitem de *Zigenhayn*, turbatorem, invasorem,  
raptorem, & incendiarium villarum agrorumque suorum justâ pœnâ  
afflixit, & ipsam valde humiliavit. Postea etiam Ministeriales suos vasta-  
tores & prædones validis armis aggressus, eos ad debita obsequia cœgit.

(N n n) 3

AD.

(a) chron. Henneb. Spangenh. L. II. c. 34. p. 124. (b) Brovver. L. IV. p. 305. (c) au-  
ream.



AD. MCCLIV. Rex *Wilhelmus* Fuldæ erat, ubi lites Monachorum *Herofveltensium*, quas contra Prælatum suum habebant, audivit; at *Henrico* eandem Ecclesiam commisit, mox tamen *Wernerus* receptus est à Monachis suis contra datam fidem. Fecere tamen mox rursus *Henricum* Tutorem suum. Moritur AD. MCCLXI. Prælaturæ XIII. arce & oppido *Herbrachtshusio* nondum completo.

XLVI. *Berthold. II.*

XLVI. BERTHOLDUS II.

E familia *Leupoldiana*, Præpositus *S. Petri*, Professus *Fuldensis*, optimus Pater. Erat enim prudens, iustus, pius & pacificus. Castra prædonum cepit, & destruxit *Franckenstein*, inferius *Schlytzium*, *Wartburg* in Francia, *nigram petram*, *ferreum rivum*, *Bockenpurgum* & *Planckenvald*, & ita bellum diutinum à Comite de *Zigenhayn* & *Rynec* sulcitarum feliciter extinxit, & Ecclesiæ suæ pacem reddidit. Arcem *Haselstein* cum adjacentibus pagis & castris acquisivit: opidum *Geys* instauravit, *Lutterbach* & *Bydenbach* exstruxit, aliaque loca cepit & munivit. Varias advocaciones sibi compatavit in *Ulfhusen*, *Steinbach*, *Hennoldes*, *Flinbach*, cum omnibus pertinentiis suis. *Margretam*, degeneris *Alberti* Landgravii conjugem devotam & castam, sed, propter meretricium alienæ amorem, repudiatam & pulsam, *Friderici* II. Filiam, honorificè suscepit, & pro statu suæ dignitatis tractavit, & incolumem in *Franckenvort* deduxit. *Bishopshemium* cepit, & raptores inde longius profligavit. Tandem Venerabilis Pater, & omni recommendatione dignus, AD. MCCLXXI. XV. Kal. April. in capella *S. Jacobi* à Ministerialibus suis de *Erversberg*, *Steinayv*, *Brandayv*, *Rastorp*, *Luppeln*, *Bardoch*, de *Schenckenvald*, truculenter inter sacram Missam occisus est, anno Prælaturæ X. omnes tamen occisores malâ morte iterum perierunt.

XLVII. *Berthold. III.*

XLVII. BERTHOLDUS III.

E familia *Mackenzell* in Buchonia, Professus *Fuldensis*, Præpositus *S. Andrea*, pius & iustus. Severè enim ultus est lamentabilem mortem Antecessoris sui. Scelera sceleribus cumulabant quotidie Prædones Ministeriales. Cùm igitur ornamenta & thesaurum Ecclesiæ in *Haselstein* auferre vellent, ipse verò *Bertholdus* citius resciret, copias suas eduxit, Ecclesiam obsedit, & ipso natali Dominico auctores hujus mali de *Erversberg* statim cepit, quorum unus necatus, ceteri probè custoditi, insuper triginta flammâ vel ense peribant in ipso templo. Ita, ubi pec-



cavetant antea, ibi etiam cæsi sunt iusto Dei iudicio. Cùm verò ex simplicitate, & ob molem negotiorum curarumque, ultra annum in petitione confirmationis suæ negligens fuisset, postea à Papa accipere non potuit. Invisus idèò Fratibus, libertatem ei dabant, aut resignare, aut ipsis ex voto & usu opitulari. At cùm neutrum posset, scribunt Romam. Sic ille cogebatur Tutorem suscipere *Wernerum Maguntinum* AD. MCCLXXII. At quid inde? nulla salus. Et ipse *Wernerus* per biennium tantùm præfuit.

## XLVIII. BERTHOLDUS IV.

XLVIII.

*Berthold.*

IV.

E familia de *Bymbach* in Buchonia, Decanus antea Ecclesiæ *Fuldensis* & Præpositus *S. Petri*, confirmatur à *Gregorio X.* in Synodo *Lugdunensi* AD. MCCLXXIV. Acerrimè persecutus est latrones, eorumque specus & receptacula disjecit, Hannam scilicet castrum, quod per aliquot dies obledit, *Mackenzell*, *Altenburg*, *Mansbach*, inferius *Bymbach* &c. Pro exstruktionè & innovatione basilicæ multa acquisivit, vicinis & exteris gratus, cunprimis *Bertholdo*, *Würceburgensi* Episcopo. AD. MCCLXXXI. Prælaturæ VIII. Ecclesiam suam *Rudolpho* Regi tradidit, Præposituram *S. Petri* tetinuit. Rex autem Ecclesiam *Fuldensem* commisit *Eberhardo*, Comiti de *Carzenbogen*, qui substitutum sibi fecit *Bertholdum* de *Lybspurg*. Inde autem ruina Monasterii & cuncta mala.

## XLIX. MARCWARTUS II.

XLIX.

*Marc-**wartus*

Dominus erat de *Byckenbach*, Decanus & Professor *Fuldensis*, filii instar amatus & educatus à *Bertholdo*, succedit AD. MCCLXXXVI. Sequentè consecratur à *Papenbergensi* Episcopo. Eodem anno templum *S. Bonifacii* unà cum Monasterio totum conflagravit cum maximo damno. *Marcwartus* verò strenuè reparavit utrumque magnis sumptibus: acquirit sibi opidum *Nithartshusen* & castrum *Vyschberg*. In medio boni regiminis cursu veneno perit. Diabolica vetula dedit ei novas chirothecas veneno illitas, quas cùm imprudenter indueret, moritur AD. MCCLXXXVII. Prælaturæ III. quò antea propter habitum monachalem, quem non adèò coluit, turpiter in confusionem datus est. (d)

## L. HENRICUS V.

L. Henric. V.

Comes de *Wilnavv* apud quatuor Imperatores in magna auctoritate, apud *Rodolphum*, *Adolphum*, *Albertum* & *Henricum* de *Lützelburg*, in quorum legationibus & curiis multùm fuit, etiam in bello *Rodolphi* Imperatoris, quod in *Sequanos* susceperat, cum XL. equitibus præstò erat per quatuor annos. Postea sequitur *Adolphum* Imperatorem de *Nassavv*, propinquum suum, de quo spem formaverat sibi, hoc posse esse usui  
Mona-

(d) Brover. L. II. c. 16. p. 171.



Monasterio. Imò huic Ecclesiam suam ad sex annos tradidit. *Adolphus* contra castrum *Franckenstein* à se captum Monasterio subdidit. Antea quidem *Bertholdus* II. id expugnauerat. (e) Acquirat etiam *Wyldeck* cum pertinentiis. *Salzingen*, *Gerstingen*, *Waldenburg* & *Vürstedeck*. Prædonum castra destruxit, eosque dissipavit. AD. MCCCVI. *Hermanno*, Landgravio Hassiæ, conditionaliter vendidit opidum *Fach* pro MCC aureis, sic tamen, ut post sex annos rursus emere velit & possit. Sed in hunc usque diem non factum est. Alvi fluxu moritur *Hamelburgi* AD. MCCCXIII. XII. Kal. Mart. Prælatuæ XXV.

LI. Eber-  
harts.

LI. EBERHARTUS.

E familia *Rodenstein*, Professus Fuldensis, Abbas optabilis, qui Ecclesiam multis debitis gravatam liberavit. Moritur AD. MCCCXIV. Prælatuæ I.

LII. Henric.  
VI.

LII. HENRICUS VI.

E familia de *alto monte*, Professus Fuldensis, postea Præpositus Monasterii *Holtzkirchen*, (quod vel *S. Bonifacius*, seu discipulus ejus *B. Sturmio* condidit, non procul opido *Wertheim*,) deinde Decanus Fuldensis, electus AD. MCCCXIV. Insulam accepit à *Johanne* XXI. AD. MCCCXVI. Bellum ei cum Episcopo in *Würceburg* ob castrum *Wyldeck*, & AD. MCCCXIV. cum *Henrico*, Landgravio Hassiæ, ob *Alsvelt*, quod opidum Abbas obsidebat, *Henricus* verò, Comes de *Henneberg*, *Hermann* III. Filius, retrahere eum volebat, sed captus ab illo. Pax verò facta per *Matthiam* Maguntinum. AD. MCCCXXX. magna civium Fuldensium seditio, quem ignem semper insufflavit *Johannes* de *Zigenhayn*, Advocatus Ecclesiæ; Abbas tamen victor mansit. (f) Eòdem annò cum Comite dicto de *Henneberg* transegit propter bonum castrense in *Saleck*. (g) Etiam cum *Henrico* Landgravio contra Comites de *Zigenhayn* & *Ysenburg* aliquid tentavit; (h) arcem novam construxit in *Fulde* & *Geys*, fodi jussit fontem in monte *B. V.*, multa altaria & capellas fundavit. *Salmönster* jus civitatis acquisivit, idque muris & portis munivit. Varia & pretiosa ornamenta de auro & argento dedit: *Corporis Christi festum* introduxit, *Brackenu*, *Stoltzberg*, *Soden*, & alia loca Ecclesiæ incorporavit. Monasterium *B. V.* mirificè auxit & ornavit ædificiis, decimis & aliis rebus, & multa alia præclara fecit. AD. MCCCXLIX. Judæi in malitia sua unanimes clanculùm volebant omnes simul cives in *Fulde* occidere. Sed scelus hoc proditum est, & faba in Apellas cusa, ut eorum sexcenti miserè necati cum

(e) Chron. Henneberg. L. II. c. 29. p. 114. (f) Vid. Brovver. L. IV. p. 321. seq. Fabric. l. c. p. 153. (g) Vid. chron. Henneberg. L. IV. c. 3. p. 143. (h) Fabric. l. c.



cum familiis suis. Moritur AD. MCCCLIII. VII. Id. Septembr. Prælatura XL. Jacet in oratorio, quod exstruxerat.

## LIII. HENRICUS VII.

LIII. Henric. VII.

E' familia *Craluk*, electus AD. MCCCLIII. in discordia concorditer. Anno sequente bellum habuit cum *Henrico* de *Henneberg*, propter castrum *Werberg*. Vicit tamen & devicit Comitem castrumque. AD. MCCCLIX. *Orto*, Landgravius de *Hassia*, *Hünevelt* clam ceperat, Abbas verò cum adiutoribus suis mox recuperavit. (i) Post triennium pax facta. Sic *Rosforf* Ecclesiæ *Fuldensi* redditur. Occupavit etiam *Borch* in *Hassia*. Anno præcedente *Carolus IV.* Imp. confirmabat ei jus & titulum *Archi-Cancellarij* Imperatricis. Non dedit *Carolus*, sed confirmavit. Diu enim ante Eum habuerant. Dedit Ecclesiæ suæ mitram perlis & gemmis præfulgentem, & baculum purè argenteum multi valoris AD. MCCCLXIV. pestilentia occidit multos etiam in *Fulde*. Moritur AD. MCCCLXXII. XV. Kal. Jun. Prælaturæ XIX. Jacet in monte B. Virginis.

## LIV. CONRADUS IV.

LIV. Conrad. IV.

E' familia Comitum de *Hanôa*, Professus *Fuldensis*, bellum magis, quàm pacem, amabat, avarus & rixosus homo. Cùm *Stelligerorum* Societas, (k) sub *Ottone* de *Brunswick* cœpta, in *Buchonia* multum grassaretur, & cives & rustici se associarent, multa passus est *Conradus*, qui verò securitatis ergò se contulit in *Spangenberg*. Sed malitiosi *Stelligeri* eum insequabantur, & in janua camerae suæ stantem violenter necarunt AD. MCCCLXXXII. Prælaturæ X.

## LV. FRIDRICUS.

LV. Fridericus.

E' familia *Romrod*, natione *Buchonius*, Professus *Fuldensis*: Ministeriales de *Buchenau* cum adiutorio Landgravii de *Hassia Fuldam* mirè affligunt & vexant usque ad interitum. Debita Ecclesiæ debitis aliis cumulavit. *Hamelburgum* ab Episcopo in *Würceburg* obsessum, & *Popenhusen* victum est. Moritur AD. MCCCXCV. Prælaturæ XII.

## LVI. JOHANNES I.

LVI. Johannes I.

E' familia de *Merlaue*, natione *Buchonius*. Multa debita à multis temporibus coacervaverat Ecclesia, & insuper ab omni latere vexabatur &

(Ooo)

(i) Dicet tibi eos *Browv.* L. IV. p. 323. quos tamen *Fabric.* l. c. p. 155. socios Landgravii facit. (k) Vid. hist. de Landgrav. *Thuring.* c. 119.



& diripiebatur, ut planè nesciret *Johannes*, quò se verteret. Is tamen ponens in DEI auxilio spem & fortitudinem suam, suos fortiter defendit. AD. MCCCIII. *Balthasar*, Landgravius Doringiæ, acquirit sibi castrum *Gerstingen*. AD. MCCCXIV. erat in Concilio *Constantiensi* magna cum auctoritate & usua. Patres congregati audientes de insigni bibliotheca *Fuldensi*, rara aliquot volumina MSta acceperunt ex ea, secumque asportarunt cum detrimento Monasterii. AD. MCCCXCVIII. *Bonifacius* Pàpa IX. licentiam dederat feminis in templum *Fuldense* majus ingredi, quod ante hoc tempus inauditum erat. Sed mox exustum est templum à fulmine. Nemo tamen hanc temeritatem Papæ corrigere voluit. Fieri etiã fecit *Johannes* campanam majorem, *Osanna* dictam. AD. MCCCC. *Brückenau* ex præsentissimo hostium periculo mirabiliter liberatur. AD. MCCCXX. Capitulum fuit *Fulde*, à Sacro Ordine nostro indictum. Reformavit utiliter, multa paravit ornamenta & vasa ecclesiastica, reparavit ædificia ruinosa, & in cunctis bene prospexit Ecclesiæ suæ. Senex nunc & debilis cum consensu Fratrum Coadjutorem sumit *Hermannum* de *Buchenavia*. At pediculos posuit in togam suam. Mox enim optimum Senem ex nova arce Sede pellebat sua in villam *Ottershusen*, ipse interim in omnibus dominatus est securè & superbè. Ad partes suas traxerat *Hermannus* Maguntinum *Conradum*, & propinquos suos, aliosque, *Johannes* verò Landgravium Doringiæ, & fortuna mutavit vela sua. Pax tandem facta per Legatum Apostolicum. Solus ergò *Johannes* operâ *Ludovici*, Landgravii Doringiæ, restitutus, præfuit postea annos aliquot inter utramque fortunam laudabilis Pater. Moritur AD. MCCCXL. Prælatuæ XLV.

## LVII.

*Hermannus*  
II.

E familia de *Buchenovia*, Præpositus *S. Johannis*, & olim Coadjutor electus, primo statim Prælatuæ anno Marcham *Wedderaviam* Comitibus de *Nassau* primò oppignoravit, deinde summo cum Ecclesiæ damno vendidit. Voluit id quidem postea aliquantulum restituere, & fratribus è memoria evellere, dum disciplinam monasticam apud *S. Johannem* introduceret, istudque monasterium ædificiis, possessionibus aliquot & piscinis ornaret & dotaret. Sed non erat æquivalentia. Moritur AD. MCCCXLIX. Prælatuæ suæ infelicis IX. Jacet in eodem Monasterio *S. Johannis*.

## LVIII.

*Reinhartus*

## LVIII. REINHARTUS.

E familia Comitum de *Wilnau*, omnium votis eligitur AD. MCCCXLIX.



MCCCCXLIX. Professus Fuldenfis. Primo electionis annò *Eversbergam* occupavit. Sequentè anno castrum *Urtzel*. Multas insidias, pericula & molestias fecerant ei adversarii, consilio tamen & auxilio divino omnia effugit, vicit & superavit. AD. MCCCCLIII. hospitale ad *S. Leonard.* cœptum est. Ultimus Comes de *Zigenhayn & Nidda* moritur. Jacet *Hayna* in monasterio Ordinis Cisterciensis. Sic uterque Comitatus ad Landgraviū de *Hassia* venit. AD. MCCCCLXVI. templum parochiale in *Fulde* cœptum est. Monasterium *S. Petri* in monte ad regulam S. P. N. B. reformatur. Sequentè anno opidum *Geys* occupat Landgravius de *Hassia*, sed cives volebant fidelitatem juramento promittere. In senio suo AD. MCCCCLXXII. Prælaturæ XXIII., cum consensu Capituli, Coadjutorem sibi fecit *Johannem*, Principem de *Henneberg*, quem diu tentaverat & probaverat in secunda & adversa fortuna. Supervixit adhuc quatuor annos. Moritur cum gloria AD. MCCCCLXXVI. Prælaturæ XXVII.

## LIX. JOHANNES II.

LIX.  
Johann. II.

Ex antiqua familia Comitum de *Henneberg*, quos postea *Henricus* Imperator AD. MCCCX. die *S. Jacobi* Apostoli *Principes* fecit. Erat *Wilhelmi* hujus nominis IV. filius secundo genitus, AD. MCCCCXXXIX. in festo *Visitationis B. Mariæ*. In pietate, studiis & ludis equestribus bene educatus & exercitatus, maturiori ætate varias invisit regiones. Factus postea variarum Ecclesiarum Canonicus, *Maguntina*, *Coloniensis*, *Trevirensis*, *Argentinenfis*, *Papenbergensis*, in auctoritate magna ubique. Cùm ei vita monastica, specialiter Ord. S. P. N. B., placeret, magnam habuit amicitiam ubique cum Prælati, in specie *Reinharto* Fuldensi. Hic AD. MCCCCLXVII. à Ministerialibus suis, & postea à Landgravio de *Hassia* bello lacessitus. *Johannem* de *Henneberg*, animosum juvenem, copiis suis præfecit, qui etiam Ecclesiæ Fuldensi opidum *Geys*. reddidit, hostesque validè cepit & profligavit. Sic familiarius cum *Reinharto* conversabatur, qui medullitus eum amabat. Factus nunc *Reinhartus* præ senectute debilis & torpidus, cum consensu omnium *Johannem*, Capitaneum antea suum, nunc Coadjutorem suum denominavit AD. MCCCCLXXII. *Johannes* postea habitum sumit monasticum, vitamque militarem planè immutavit honestioribus moribus & magno pietatis zelo. Multi abusus infecerant Clericos: ille igitur totam Dioccesin reformare volebat, sed crabrones irrita-

(Ooo) 2

vit. (1)



vit. (1) Si quis unquam ex Archimandritis pius, zelosus, castus, liberalis, pudicus & diligens fuit, Johannes certè fuit, in omni virtutum genere splendens. Ecclesie suæ fideliter præest, subditos paternè amat, & prudenter singula facit. Omnia oppignorata & ab alienata, quantum in illo est, Ecclesie recuperat, cum primis Hamelburg cum decima vini ibidem. Summa: Abbas & Princeps est, Pater & Dominus, quem ego nunquam condignè laudabo.

(1) vid. Spangenberg. chron. Henneb. L.V.c.32. p.224.

## T A B U L A

ABBATUM, INDICANS NOMINA, ANNOS ELECTIONIS, OBITUS VEL ABITUS, ET SESSIONIS CUJUSCUNQUE.

NOMINA	ANNELECT.	ABITVS VELOBITVS	SESSIONIS.
I. B. Sturmio	744	779	35.
II. Bangolphus	779	802 resignat	22.
III. Radgarius	802	817 depositus	15.
IV. Ægil.	818	822	5.
V. Rabanus	822	842 resign.	20.
VI. Hatto I.	850	856	6.
VII. Thiodo	856	869 depof.	13.
VIII. Sighartus	869	874 resign.	5.
IX. Hugo	874	913	39.
X. Helmefridus	913	916	3.
XI. Haicho	916	923	7.
XII. Hilpertus	924	927 resign.	3.
XIII. Hademarus	927	956	29.
XIV. Hatto II.	956	968 resign.	12.
XV. Wernerus	969	983	14.
XVI. Erckenbaldus	983	1011 resign.	28.
XVII. Brantho	1011	1018 depof.	7.
XVIII. Popo	1019	- - -	- -

XIX. Ri-



NOMINA	ANN. ELECT.	ABITVS VEL OBITVS,	SESSIONIS.
XIX. Richartus	- - -	1039	
XX. Sigvvarthus	1039	1043	4.
XXI. Rohingus	1043	1047	4.
XXII. Ecbertus	1048	1058	10.
XXIII. Sigfridus	1058	1059 resign.	1.
XXIV. Wideradus	1060	1075	15.
XXV. Ruthartus	1075	1096	21.
XXVI. Godfridus	1096	1109 deposit.	13.
XXVII. Wolfhelmus	1109	1114 depof.	5.
XXVIII. Erlolfus	1114	1122 resign.	8.
XXIX. Udalricus	1122	1127 depof.	5.
XXX. Henricus I.	1127	1133 resign.	7.
XXXI. Bertoldus I.	1133	1135	2.
XXXII. Conrad. I.	1135	1140	5.
XXXIII. Alholfus	1140	1148 depof.	8.
XXXIV. Rutgerus I.	1148	1148 resign.	1.
XXXV. Henricus II.	1149	1150 resign.	1.
XXXVI. Marchvvarthus I.	1150	1165 resign.	15.
XXXVII. Hermannus I.	1165	1168	3.
XXXVIII. Burchartus	1168	1176	8.
XXXIX. Rutgerus II.	1176	1176	1.
XL. Conrad <sup>o</sup> II.	1177	1192	15.
XLI. Henricus III.	1192	1216 depof.	24.
XLII. Hartmannus I.	1216	1216	1.
XLIII. Cuno	1217	1221	5.
		(000)3	XLIV. Con-



NO MINA	ANN. ELECT.	ABITVS VEL OBITVS,	SESSIONIS.
XLIV. Contadus III.	1221	1246 resign.	25.
XLV. Henricus IV.	1249	1261	12.
XLVI. Bertoldus II.	1261	1271 occisus	10.
XLVII. Bertoldus III.	1271	1272 resign.	1.
XLVIII. Bertold. IV.	1274	1282 resign.	8.
XLIX. Marchvartus II.	1286	1288	2.
L. Henricus V.	1288	1313 resign.	25.
LI. Eberhartus	1314	1314	1.
LII. Henricus VI.	1314	1353	40.
LIII. Henricus VII.	1353	1372	19.
LIV. Conradus IV.	1372	1382	10.
LV. Fridericus	1383	1395	12.
LVI. Johannes I.	1395	1440	45.
LVII. Hermannus II.	1440	1449	9.
LVIII. Reinhartus	1449	1476	27.
LIX. Johannes II.	1477	-	-



CHRI.